



DEO PRÆSIDE
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
SINGULARI
RENIS CALCULO
QUAM
GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS
JUSSU
PRO
SUMMIS IN ARTE MEDENDI HONORIBUS
ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
RITE CONSEQUENDIS
DIE II. SEPTEMBRIS A. R. S. MDCCLXXII.
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIT
LAURENTIUS ROULY
Reguievellensis - Lotharingua.

H. L. Q. C.

Argentorati, Typis Jo H. HENR. HEITZII, Universit. Typogr.




DISSERTATIO INAGURATIVA MEDICA

20

DE O
PATRIÆ
PARENTIBUS
PATRONIS
ATQUE
AMICIS

SACRUM.



bon T. ff. omittit quæ da enodatris o. submodicis
com. & com. ontholino. illud in lego. q. dicitur
sibet

PROCEMIUM.

Specimen aliquod in lucem edere novum, illud decentibus ita rimari formulis, ut a censuris tuis, Lector benevolè, se præbeat immunem, Viri Medicis est, tironis nequaquam. Cum tamen per Academiæ leges fancitum sit aliquid typis mandari, hoc opusculum meum accipe, Lector benevolè, bene memor tironis quid valeant humeri, quid contra ferre recusent.

Atrocissimam malorum genus humanum torqueantium iliadem præbent viæ urinariae: inflammationibus, suppurationibus, scirrhis, ulceribus, hæmorrhagiis tentantur, spasmodeice constringuntur; urinæ excretio ut functiones animales sustententur, quam primum necessaria his affectibus retardatur, supprimitur, vario modo depravatur; unde innumeri sœviunt cruciatus acuti & chronicæ. Vix ullus est ita diris stipatis doloribus, ac lapidea concretio ibi enascens, Lithiasin dixerunt Græci, calculum vocant Latini. Antiquioribus notus hic morbus gentem humanam continuo afflixit, & irritos omnis ævi Medicorum conatus fere semper egit. Ab aliquibus amen temporibus aliqua melioris eventus medicina obtulit medicamina, felicius & altius indagata Chirurgia

A

landabiliores extrahendi calculum methodos exhibuit.
 Quid a Medicina expectandum, quid solaminis sperandum habeant miseri, in quos fævit tyrannus, quantum præ imbecillitate virium licebit, proferre tentabo. Et illud est, Lector benebole, quod e tam multis, quos offert Medicina, casibus argumentum elegi, ductus singulari quadam observatione ab expertissimo D. THOUVENEL, Chirурgo Parisiensi, confobrino meo & amico tradita.

OBSERVATIO.

Anno proxime elapsi Valfracurio in Lotharingia prope Mirecurium, Anna Bruant, viginti sex annos circiter nata, tunc temporis ad Illustrissimum & Nobilissimum D. D. Comitem d'HOFELISE, Legionis Grenadiers Royaux dictæ in Alsatia & Lotharingia collectæ, Praefectum, famulatum agens, correpta est acuto fatis dolore circa regionem renis sinistri; per octo circiter horas volvbat se diris exagitata cruciatibus. Advocatus est antea dictus Chirurgus medelam allaturus, qui cum advenisset, cuncta remittebant symptomata, & bene fatis se habebant omnia; a quo tamen examinata, de dolore mox dicto conquæsta est; aderat nausea, vomendi necessitas, lingua erat aspera, nigra, sordibus imprægnata, pulsus fere naturalis; de præsentia materiæ enjusdam acris heterogeneæ in primis viis judicans Chirurgus, potum multum diluentem fuisse, purgans de Eccoproticis suppeditavit, & domum reversus est. Elapsis decem circiter diebus omnia recrudecebant symptomata; ideo convocatus denuo, qui alium sibi adscivit Chirurgum D. MANGIN.

in re præsertim obstetrica expertissimum; anib[us] de rebus ægrotæ consulunt, examinata iterum omnia antea dicta symptomata; sed paulo severiora observata sunt. Dolor acutus semper fixus in regione renis sinistri, urina tunc rubra minus more solito fluebat, vomitus identidem aderat, pulsus erat plenus & celer. Nephritidem adesse existimantes Chirurgi venæsectionem primo instituerunt, clysmata emollientia, fomentationes loco affecto applicatae, pilulæ saponaceæ ad referandas obstrunctiones, venenunt in usum, ad ipsa etiam diuretica & diaphoretica confugerunt; quibus nihil proficientibus, in balneo aquæ tepidæ immersa fuit ægrotæ sæpius; in quo dum immergetur, paululum remittere videbantur symptomata, sed vix egressa recrudescebant. Interim omnia in pessum ibant, urina plane cessaverat, eo miseriarum devenierat ventriculus, ut quidquid assumeret, statim evomebatur; venter tumefiebat, mors aderat in propinquuo, dirissimis tandem per quatuor dies & atrocissimis agitata cruciatibus, miserrimæ vitæ die XXV. finem exoptatum imposuit.

Annente Illustrissimo D. Comite, ut inspectio cadaveris institueretur, expertissimus D. THOUVENEL cultrum anatomicum admovit; primo intuitu viscera abdominalia in urina madentia observavit, inquirens deinde renes, omissa ulteriori inspectione viscerum, in renem dextrum incidit; en! stupendo spectaculo totus ren ita calculosus deprehensus est, ut faxi duritiem & figuram æmularetur. Apertus stetit calculum materia aliqua plurulenta circumcidatum, durissimum, ad ovi crassitatem, tribus pollicibus longum, una facie convexum, altera sex insignibus pedunculis, variis depressionibus & tuberositatibus notatum, quisque pedunculus ad crassioris avellanæ magnitudinem, pars convexa calculi partem renis convexam respiciebat, pedunculi autem ad pelvem deter-

minabantur; ureter hujus lateris in totum emaciatus speciem ligamenti mentiebatur; recordatus autem Chirurgus, quod per totum morbi decursum dolor semper fixus in sinistro latere haeserit, nec unquam de dextro conquesta fuerit ægrotia, stetit mirabundus. Existimans autem, renem sinistrum multo fore calculosiorum, illum follicite inquisivit, sed spem fecellit eventus; hic renus primo intuitu vifus est, mollis & coloris fere naturalis; inquirens autem ureterem hujus lateris, illum a pelvi solutum, & calculum avellanæ magnitudinem æmulantem, infinitis asperitatibus ludentem, circa renis sedem in abdomen reperiit. Hic totius hujus atrocis tragediæ nodum omnino solvit; natus enim in rene calculus in pelvem incidit, & priorum symptomatum causam dedit; adactus autem in ureterem ab urina propellente altera dedit symptomata, grandior factus ab urinæ sedimento sæpius addito, ureterem dilaceravit, unde ultimorum symptomatum atrocissimorum ratio.



§. I.

Nullas non cavitates corporis humani affecerunt aliquando lapideæ concretiones, nulla non viscera obfesserunt; in capite, corde, hepate, vesicula fellea, melenterio, pulmonibus, liene, ventriculo, utero, ovariis, in testiculis, intestinis, variis glandulis, articulis observarunt, qui causas morborum in cadaveribus curiosius scrutati sunt. Foetum lapidescentem, quod mirabile dictu, habuit urbs Muffipontana *a)*; faxeam tandem duritatem nonnullæ partes acquisiverunt, renes autem &

a) DEUSINGIUS Foetus Muffipontani Historia. Groning. 1662.

vesica inter omnes partes lapidum feracissima, cuius frequentia rationem reddunt urinæ, contenta & stasis.

§. II.

Calculorum scaturigo urina notu difficillima, cum ratione ætatis, temperamenti, morborum, variarum vi-
tae conditionum, pro diversis alimentis & potulentis,
pro varia ab iisdem distantia, inconstantes & mutabiles
dotes continuo offerat: heterogena præterea, qualia
nulla sunt in rerum natura, ex ipfa producuntur. Quasi
Proteus odorem, saporem, colorem, copiam levissima
de causa immutat. In statu fano citrinum colorem lim-
pidum habet, recens nec acidum, nec alcalinum quid
linguae præbet, sed asservata citissime inter omnes humo-
res corporis putrescit. Post novem horas in tempestate
calidissima indolem alcalinam acquisiverat, foetide ole-
bat, turbida erat, & copiosum dejiciebat sedimentum.

§. III.

Has apparentias diversimode immutant morbi, &
præfagia instituimus. Si urinæ recenti calx viva vel fal-
lixiviosum infundatur, prodit statim vapor putridus,
quod indicium est a basi sua separari Alcali volatile, Sal
ammoniacale inibi contentum modo dicendum consti-
tuens. Sibi relicta urina spissescit, partem phlegmati-
cam, cuius maxima est ratio, ad reliqua elementa deper-
dit, portionem aliquam terream, crustam lapideam ma-
gis vel minus copiosam, facile fecedentem ad vasorum
parietes apprimit. Hujus materiae originem & in variis
morbis degenerationem optimis observationibus elucida-
vit Clar. HERISSANT a), qua proportione evaporatur uri-

a) Mem. de l' Acad. Roy. des Scienc. 1758.

na, spissescit magis, fuscum colorem, odorem putridum acquirit; ubi ad Cremoris consistentiam pervenit, si frigido loco reponatur, ut facilior inde fiat crystallisatio, plura salia obtinemus; primum prodit sal neutrum, peculiaris cuiusdam naturæ, sal nativum, sal fusibile, microcosmicum urinæ dictum, magmati fusco & pingui inherenter ipsius crystalli impuræ, quæ iterata in aqua solutione, filtratione & crystallisatione redduntur albissimæ, pellucidæ, inodoræ. Ammoniacalem indolem habet illud, siquidem ex Alcali volatili & Acidō proprio conflatur. Hanc & veram compositionem demonstrarunt Illustr. MARGGRAF a) & SCHLOSSERUS b) ex unione Alcali volatilis cum hoc Acidō tale sal educens; in illius generatione minime afferenda urinæ putredo, siquidem urina recens post evaporationem XXIV horarum abundantius foeneratur c). In eo sale habemus Acidum, quod principio inflammabili unitum Phosphorum efformat, ex residuo a crystallisatione aqua fervida diluto, per panum trajecto & ad cuticulam evaporato oriuntur crystalli perfecte similes ad eas, quas efformat sal mirabilis GLAUBERI. Tertium iterum salis genus ex urina surgit; sal nempe marinum figura cubica semper detegendum, hoc docente Illustrissimo & Experientissimo D. D. SPIELMANNO d), Praeceptore meo omni veneratione colendo, tam variorum fons in urina vix potest explicari.

S. IV.

Alia adhuc nobis offert urinæ analysis igne facta.
Aërem

a) Hist. de l' Acad. Royale de Berlin 1746.

b) De Sale Urinæ humanae nativo. Lugd. Bat. 1753.

c) MACQUER Elem. de Chem. prat. T. 2. p. 514.

d) Institut. Chem. Exper. X.

Aërem cum aliis elementis minus cohærentem probat spumescientia facilior, & citior bullarum eruptio in vacuo Boileano, quam ex alio quocunque liquore humano, igni sensim augendo exposita, maximam aquæ præbet copiam, quam ad novemdecim vigesimas alii ulterius urgent: foetore urinæ proprio non destituitur phlegma illud, alcalinæ naturæ signa non edit. Reliqua urina melluginis spissitatem induens amara est & acris, falia modo dicta per crystallisationem suppeditat; igni exposita, ascendit liquor vehementer olens & acris, alcalinæ indolis, spiritum urinæ dicimus; hunc sequitur fal volatilis alcalinus vasis parietibus adhæscens, succedit & partim comitatur oleum primo tenue, flavum, dein spissescens nigrum, foetidum, empyrevmaticum. Tunc si intensissimo igne urgeatur & validissimo, erumpunt fumi subcoerulei, qui in aqua recipientis coguntur, & in glaciale aliiquid abeunt, quod siccum continuo ignem omnia ambusturum concipit, nisi in aqua conservetur; Phosphorum dicunt, quod luceat, facilius ex lotio putrefacto cum carbone ligni aut aliis additamentis componitur. His eductis manet in imo vase portio sicca terrea, carbo nempe aliquam falis marini portionem adhuc habens. Horum urinæ contentorum rationem variam jam diximus; ex experimentorum comparatione hanc conclusionem deducit Illustr. HALLERUS a), plurimum olei habere urinam, quæ sedimenta ponit, minimum contine re urinam crudam, criticam naturam urinarum in egestione falis volatilis atque olei positam videri.

§. V.

In explicanda calculorum genesi valde cespitant Me-
B

a) *Elem. Phys.* L. 26. S. 3. p. 356.

dici; a pituita, muco, vel viscidis calore renum & vēficā arefactis eruebant veteres, alii a frigore compingi dicebant; quæ commenta jam diu argumentis HELMONTII obsoleverunt a). Sed ille aliorum sententias redarguens meliora non proposuit, barbaris vocibus & entibus imaginariis paradoxa dogmata abscondebat; spiritus coagulantes & fermenta in formationem DUELECH attulit.

§. VI.

Genuinæ lithiasis fontes in humoribus reperire non ita ambiguum: ipsa aqua limpidissima talibus non raro scatet particulis, quæ concretiones lapideas ad vasorum parietes deponant, selenitosis nempe calcareis, spatosis, & ex talium aquarum usū calculi fundamentum frequens eruit HALLERUS b), non tamen continuo ex ea quantum libet lapidifica aqua calculum nasci fatetur; tumoribus strumosis in quibusdam regionibus vulgatissimi anſam præbent tales aquæ.

§. VII.

Hujus materiæ lapidescentis existentiam in humoribus animalium multa declarant. Spuma de testaceorum corpore exfudans in testam calcaream abit; cretaceam materiam pro formatione ossium deponit sanguis, non ex periostii laminis generantur c). In arthriticis & podagrericis varios articulos, membranas, ligamenta, tendines afflidunt tophi ossei, calcareæ concretiones: in humoribus innatantes arenulæ visæ sunt, non raro ex ipsis vasibus prodierunt fila vel granula, in lapideam duritiem abitura, & in iisdem obstructiones invincibiles produ-

a) *L. de Lithiasi Cap. 2.*b) *Elem. Phys. T. 5. p. 362.*c) HALLER *Mem. sur la Format. des Os.*

centia. Horum omnium rationem reddit humorum compositio in soliditatem proclivis, ubi terræ ad reliqua elementa augetur proportio.

§. VIII.

Lithiasin tandem optime evolvunt urinæ contenta terrea & salina, quæ si majori ratione adsint, se attrahunt, urinam viscidam, lentam reddunt, fabulos, arenulas, lapillos efformant calculi rudimenta; his etenim aliæ similes particulæ inviscitæ adhærescunt, nova continuo apponuntur elementa, in molem concrescunt, quæ per succedentem laminarum appositionem ampliabitur. Inde ex stratis compositus reperitur calculus, in centro nucleus gerens; hunc nucleus præbent non solum urinæ contenta, sed viscidum quodcumque in viis urinariis invalescens, quod terreas particulas adtrahat & retineat. Porro corpus quodcumque siccum, extraneum, ibi hærens, est centrum, circa quod calculus colligitur, uti frequentissimæ docuerunt observationes. Elementa igitur calculi omnes habent, etiam sanissimi, terram nempe in urina contentam, quæ per solam quietem sedicit. Nullam labem producet, si nulla in itinere obstacula occurrant excernendæ & ablegandæ; sed hærens sit alicubicunque corpusculum quoddam, ex minus moto liquore, vel spissiore reddito, jam ad ejusmodi obstaculum applicatur, & adhærescit materies, calculus efformatur. Copiosam inde portionem terream habet urina calculosorum, glutinosa est, desiccata lapideam duritiem habet. Urinas varias calculo laborantium collegit Celeb. DE HAEN a), gluten inde separavit, & in aëre aperto limpida urina abjecta posuit; brevi glutinosum hoc exa-

B 2

a) Rat. Med. P. 5. C. 5. p. 326. edit. Parif.

ruit, & Dr. 2. aliquando Dr. 3. materiae lapideae ad figuram vasis formatæ exhibuit. Norunt etiam omnes urinam mucosam lentam magnam portionis terreæ vasis parietibus adhærentis copiam gerentem, fabulos arenulas gestantem, calculum jam formatum indicare, vel formandum præfigire.

§. IX.

Igni expositus calculus maximam sui ponderis partem deperdit, salem volatilem multum, spiritum urinosum rubrum & aliquam portionem olei, terra remanente producit. Sed notanda admodum maxima aëris copia extra-henda, ut molem calculo 645^{es} majorem occupet evolutus a). Habet igitur calculus humanus magnam aëris quantitatatem & aquæ; cum sale volatile alcalino, aliqua parte olei & terræ. Nihil acidi demonstrant experimenta. Non ergo acidum cum terra coniunctum pro formatione calculi accusandum, quod aliquibus magnæ autoritatis viris tamen placuit b). Experimento non destituuntur; quod nempe privatus oleo suo calculus & friabilis ab addito oleo vitrioli naturam solidam recuperaverit; sed ab eodem dissolvitur calculus, & indolem alcalinam omnia potius declarant. In aqua simplici difficillime solvitur & non nisi post diuturnam digestionem; ab acidis præcipue mineralibus facilissime, aliquid agunt & acida vegetabilia, qualia sunt succus citri, limonum, pomaceum, yaria decocta, acetum, succus ceparum, porri, apii c). Ipsa adhuc Alcalia fixa calculum quamvis alcalinum validissime solvunt; calx in primis & illius aqua d)

a) HALES Stat. des Veget. chap. 6.

b) GAUB Institut. Patbol. §. 578. HOFFMANN Med. rat. System. T. I. p. 3.

c) LOBB Tractat. de dissolv. Calcul. §. 949.

d) HALES Exper. sur le Remede de Mle. Stephens.

efficaciam habet; sapo, qui salem fixum & calcem continet, minus efficax sal fixus solus *a*), a spiritibus alcalinis & salibus volatilibus minime solvitur *b*), quæ omnia non minus ad fanationem morbi, quam ad naturam calculi nos ducunt.

§. X.

Ad calculosam labem disponunt varia fluidorum vi-
tia, quibus urinæ partes terreæ & salinæ adunantur, vel
copiosiores generantur. Ea nempe si sint crassa, spissa,
viscida, minus bene subacta, diversis acrimonias infecta,
eiusdem indolis urinam præbebunt. Alimenta & potu-
lenta quædam magis ad calculum disponere videntur ex
eo, quod aliquibus regionibus endemius, v. g. in Au-
stria, sed plebejis quam nobilibus familiarior *c*), in Bel-
gio, Gallia, Helvetia frequentissimus, in plurimis Lom-
bardiae regionibus rarissimus sit, nullus Japonensis &
Indis, si fides sit KÆMPERO.

§. XI.

Cauſas igitur ad calculum prædisponentes censemus
alimenta glutinosa, tenacia, viribus digestivis non pro-
portionata, principium terreum nimis abundans conti-
nentia, unde humorum cohæsio nimia, quies, inertia
promanant. Sunt & ea, quæ acrimoniam quamlibet
conciliare valent; exinde enim dissipantur subtiliora, fa-
ilia accidunt, desiccantur solida, urinæ crassiori, acrio-
a, ac proinde concretionibus natalia præbentur. Sed in
B 3

a) HALES *ibid.*

b) LOBB *l. c.* §. 938.

c) DE HAEN *l. c.* Part. 6. C. 6.

illis generandis nulla acrimonia efficacior ac alcalina; alimenta ad hanc inclinantia qualitatem petrificantem urinæ communicare afferit LOBB a), & observationibus confirmat. Aliquos a podagra, cuius & calculi aliqua est analogia, faniavit vietus vegetabilis, quæ recrudesceret, dum ad viatum animalem redirent. Non mirum: siquidem partium calculum componentium copiosiorem preventum habet. Inde alimenta vegetabilia & acescentia ad calculum præcavendum conferunt; frequentior acidorum usus in aliquibus calidioribus regionibus calculum rariorem facit. Alimenta e contra assodata, insolata, sale vel fumo indurata, ad alcalinam tandem acrimoniam facile vergentia, nimius carnium usus, caseus frequenter assumptus, potulenta spirituosa, vietus laetus calculosam diathesin inducunt. Ad eamdem disponit intermissus motus & exercitium, vita sedentaria in animi lucubrationibus occupata; minus enim bene subiguntur alimenta, crassi & viscidi generantur humores non bene attriti, torpescunt solida; sed præterea ob situm corporis inclinatum difficultior est urinæ transitus per renes, minus apte fluens spissescit, stagnat in vesica; de ea excernenda saepius non cogitant. Facillima inde calculosæ concretiones: in vesica enim a retenta diutius urina nimium dilatata ac distensa, urinæ partes jam crassiores suppositæ defectu motus sufficientis coalescunt. En hominum genio nimis indulgentium martyrii causam frequentissimam & non solam.

§. XII.

Ad calculum adhuc confert temperamentum siccum, robusta corporis constitutio, quippe majorem soliditatem habent solida & fluida; per transpirationem major fit de-

a) l. c. §. 29.

perditio partium aquosarum, urina majorem acrimoniam habet. In debilioribus vero magis diluta urina, in concretionem non ita est proclivis. Inde forsan foeminæ, quibus laxior est & debilior solidorum compages, calculo rarius laborant; aliqui dicunt, quod meatus vesicæ brevior sit & latior, paucos anfractus habeat, quæ potius expulsionem facilitant, quam generationem impediunt. Proni adhuc in calculum fenes, quibus humores crassi & vasa minus meabilia sunt, & minus flexibilia: languescente adhuc in illis digestionis opere, caco-chymias diversas induunt humores. In pueris frequentissimus calculus, largiore acidorum progeniem causam afferunt plurimi *a)*, quibus assentiri nec possumus; sed fractus in illis fibrarum renum vesicæ tonus efficit, ut imperfecte exonerentur, materiaque lotii viscosa tubularum parietibus affixa insensibiliter adhæreat. In nuper natu materiem flavam in renis tubulis hærentem futuri calculi basin vidit *HALLERUS b)*, forsan & longior supra dorsum decubitus tempore somni, in quo maximam vitæ partem impendunt; disponit jam hærentia per novem menses in utero: tunc enim collecta in vesica urina, si ex alia parte accedunt causæ, quæ terram cum muco & oleo conjugant, in solidescensem maslam facile conver-tuntur, quæ ablata non amplius recrudecat.

§. XIII.

His omnibus vasorum renalium constrictio addenda, quæ partes crassiores retineat, & ad morbum nostrum disponat. Frequentissime adhuc a parentibus calculosa diathesis tradita recipitur, sic connata, variis vitæ conditionibus prodit. Unde hæc pendeat, vix dicere possu-

a) HOFFMANN de Morbis Infantum. Tournay Quæst. An Calculo Lithotomia. Pontimussi 1763.

b) Element. Physiol. T. 7. p. 362.

mus, nisi aliquam vasorum renalium dispositionem, fluidorum indolem prædisponentem accipiamus. Calculosum tamen diathesis videtur ea, quæ efficit, ut terrestre id & salinum, quod in alimentis & potulentis est, minus bene subigatur, vi vitæ non immutetur, & in renibus cum urina non satis subactum separetur.

§. XIV.

Ex his causis natus calculus vel in rene, vel in ureteribus, vel in vesica hospitatur. Sæpius in rene prima nascuntur elementa, quæ dein ad vesicam deveniunt, in ipsa etiam vesica prima assimilantur calculi rudimenta. Infantes sæpius afficit vesicæ calculus, in renibus adultorum frequentius generantur. In diversis illis locis varias tragoeidas ludit; ab exilissimo germine incrementum assumens in rene symptomata sævissima producit; aliquando tamen nulla sui indicia dedit & aperto tantum cadavere detectus fuit, quamvis de eo nullatenus conquæsti essent homines viventes, quod plane evictum est observatione nostra; puella enim, de qua agitur, de vita sua nullum unquam gravem dolorem in latus dextrum experta erat, quamvis hicce ren totus calculosus deprehensus in cadaveris iustriatione, jam diu a functionibus suis cessarat.

§. XV.

Ubi substantiam renis occupat calculus, obtusum atque incumbentis instar ponderis dolorem exercet, lumbari semper regione stabilem, equitatio molestiam ut & omnis motus validior affert, urinæ interdum sanguinolentæ, purulentæ, foetidæ mejuntur. Ingrunnt nephritis paroxysmi, ponderosa tensio lumborum successive intendit in dolorem atrocem, accedit febris, pulsus præ dolore contractus est aliquando celer, intermittens, sæpe

sæpe variatur. Nervi lacerati partes vicinas in sympatiam trahunt, nausea dein vomitus afficit, testis alterius sursum trahitur, tensio in inguine percipitur pro sexus diversitate; torpet crus & femur ejusdem lateris; alvus modo supprimitur, modo laxa est. Ineunte paroxysmo urina parea, aliquando cruenta, mox limpida & tenuis, saepius suppressa, in remissione spissa, rubra, humore glutinoso & fabulis referta, vel filamentis lanuginem imitantibus. In rene ita haerens calculus si ulterius pelli se non patiatur, ipsius substantiam comprimit, exedit specie grumi vel puris, quæ cum mihi expellit ægrotus, totus consumitur exulceratione ad mortem usque, quæ miseriarum & dolorum finis est exoptatus.

§. XVI.

Sed ubi minori mole donatus, per tubulos in papillas, vel hinc in pelvem urgetur, infixi more aculei stimulat, pungit, lacerat, nephriticis adhuc insultibus occasio. Si ex se de sua dimovetatur casu, motu violentiori, iectu, vividioribus animi pathematibus, prava vietus vel medicaminum ratione, per angusta ureteris lapis decidit. Si tunc asper & rugosus, illius diametro amplior adacti in modum cunei, dividunt & singit, pungitivus in lumbis persentitur dolor, spina ægre flectitur, testiculus retrahitur, frequens est ructus, cibi fastidium, respiratio difficilis, fit vomitus, membra convelluntur, æger infandum cruciatus fere moritur, quo usque ulterius urgeatur calculus.

§. XVII.

Si in vesicam excutitur calculus per urethram perrumpente urina aliquando feliciter ejicitur, vel ibi retinetur obstante diametro majore, aut moram afferente morbo solo vesicæ statu, ibi intra urinam innatans crescit & augetur. Qui ipsius vesicæ foetus est ruga vel plica detentus, mucove involutus, lenissimum sumit incrementum, quin illum per annos integros sui indicium præbeat; auctus vero ruga emerget, tenuem in initio & levem vix persentiscit æger; ardor

C

est in mejendo levis, nec perseverans, sedimento mucoso repletur urina, levis in glande summa persentitur prurigo; hæc minoris momenti symptomata vel non durantia vix conqueritur æger incautus, inquam ita causam non suspicans. Crescente calculi mole, malum ingravescit, dolor est vividior & frequentior, in perinæo importunus persentitur gravitatis sensus, dysuria cruciat magis in extremitate urethræ, non pruritus tantum, sed irritatio continua molestat, frequenti defatigatur æger irrito mejendi & egerendi desiderio, dum pleno fluit rivo lotium, subito supprimitur, obstruēto scilicet orificio calculi præsentia; æger mutare situm, hoc & illuc flectere in varias partes misere cogitur, calculum e vesicæ ostio amovendi causa. In hisce rerum angustiis urinæ redduntur glutinosæ facilime concrecentes, neque licet citatiore gradu corpus movere, nec quadam jucunda exercitatione frui, quin dolore acerbiori mihi sanguineo subito plecteretur; succussione aliquando levissima excitatur mituritio dolorifica. Nec noctu parcunt infelici ægrototo dolores, somnum sp̄cius excutiunt, ut expellatur urina, quæ stillatim & cum cruciatibus excernitur. Tandem calculus in molem auctus grandiorem omnia deteriora facit; dolor summus sine ulla remissione pungit, somnus penitus recedit, prosternit appetitus, febris lenta & macies ægrotantem exedunt, nisi tanto malo occurratur.

§. XVIII.

Recensita symptomatum syndrome stipatam calculi præsentiam dignoscet Medicus, ipsius in rene hærentis difficilior diagnosis, quod cum aliquibus aliis affectibus communia symptomata habeat nephritis calculosa, quæ minus tamen confundetur, si hujus affectionis sedem & signa sedulo inquiramus. Ad urinam crudam, suppressam, sanguineam, fabulosam, dolorem pungitivum in lumbis non mutantem, ad retractionis sensum in inguine vel in testiculis, & stuporem in crure ejusdem lateris attendamus. In rene sinistro frequentius calculus generatur, quia longior vena aortam

transgrediens difficultius sanguinem exonerat, quamvis in observatione nostra ren dexter prior fuerit calculosus. Ubi ad vesicam pervenit, jam alia ingruunt symptomata; premit gravatus in pube sensus, mictus difficultis, dolorosus, subito interceptus, arenosus, adeo tenebris, sed maxime digito in anum intruso distinguitur. Catheter præterea in vesicam per urethram provide demissus, leniter huc & illuc vertitur, calculi moles optime persentitur; si facile reperitur & continuo attingitur, eum magnum esse, si difficulter aut semel perceptus denuo quasi evanescat, ipsum parvum suspicamur. Infidum tamen fateamur indicem catheterem, siquidem calculi duritiem & sonum mentitus est scirrus, & calculum in vesica hærentem aliquando non indicavit catheter. Non nunquam unicus solum, interdum autem uno plures calculi intus in vesica reperiuntur. Porro quamplures subeunt differentiæ calculi, ratione consistentiæ, figuræ, magnitudinis; sunt enim vel molles, friabiles, fabulosi, vel duriores; sunt vel æquales, politi, vel asperi. Magnitudine adhuc maxime possunt differre. Singularem unum refert Expertiss. D. LE RICHE, Xenodochii militaris hujus urbis Chirurgus primarius, totam vesicam replentem, feliciter tamen extrahit a). Sed maxime notanda differentia ex situ calculi desumitur, vel enim vesicæ adhæret, vel in illa libere fluctuat. Multiplici modo cohærere potest; nempe medianante cystide, vel foveola, in qua nidulatur, aut medianibus fungositatibus ex ipsa vesicæ erosæ substantia pronascentibus, aut denique simplici agglutinatione interveniente muco calculum ambiente facta: quæ omnes differentiæ Chirurgum ad operationis utilitatem vel noxam dirigere debent; in adhærentibus enim calculis cum pessimo eventu adhibita fuit b).

C 2

a) Dissert. sist. Probat. Cale. extrahend. meth. Argent. 1759.

b) Mem. de l' Acad. Roy. de Chir. T. I. HOUSET Mem. sur les Pierres enkistées.

§. XIX.

Prognosis calculi ex dictis periculosa semper judicabitur; ægritudo longa vires & vitam quasi e longinquo suffudit; eo magis formidanda, quod summa dolorum vi ad orcum ducat. Aliiquid tamen mutant differentiae modo allegatae. Majora incommoda affert, qui in renibus sedens eorum exulcerationem comitem habet, quam qui in vesica nascitur. Minores calculi, molliores facilius sanantur, qui faciliter solvuntur vel expelluntur quam duri & magni. Ubi sedimentum arenosum non solidescens mihi continuo expellitur, rarius aggregatur lapis; curationem vix admittit calculus hereditarius; illum adulorum & senum solutu faciliorem, sed fæpius recrudescentem, illum puerorum solutu difficiliorum, sed extractum vix renascentem observamus: hinc scalpello potius juvenes tradimus, senes minus, quamvis & in illis feliciter omnino instituta fuerit operatio: sed nimis debiles, confectos, tabidos, citius enecaret; hanc non admittit calculus renibus insidens. Ad aliqua symptomatum mitigantia dolorum levamina, quæ offert diætistica & pharmacia confundendum igitur, & non omnis spes sanationis ableganda, uti ex dicendis patebit.

§. XX.

Ubi renalia vasa occupat calculus, exitus ipsi conciliandus, & ad vesicam determinandus, non intempestivo acrum & stimulantium usu in uretheres pellatur, quæ impetum humorum in renes & calculos augerent: sed prius vias, per quas transire debet, emollientibus & lucubrantibus disponere necesse est, & aptas reddere, ut faciliorēm permittant transitum. Profundit in hunc scopum v. g. clysteres emollientes, balnea, diluentia, oleosa, aquæ, mucilaginosa, anodina, opiate, fomenta, linimenta, quorum ope paroxysmis nephriticis medemur. Institutam aliquando in his angustiis nephrotomiam vix credimus.

§. XXI.

Novi calculi genesis nunc impedienda est, post paroxysmum, vel generatus aptis remedii solvendus. In hunc

scopum farraginem offert materies medica remediorum lithon-tripticorum: ita Millefolium, Lithospermum, fructus Alkekengi, Cynosbati, semen Dauci, corticem radicis Acaciæ, baccas Juniperi laudant plurimi, quæ tamen minus efficacia semper fuere ad frangendum vel conterendum calculum vesicæ & renum. Vix adhuc laudanda ad tantos morbos medicamina habebat ars nostra, cum anno 1735 JOANNA STEPHENS, Angla, stirpe nobili orta, remedium quoddam arcaniū calculis solvendis specificum possidere jaicitavit. Post plurima instituta experimenta & felicissimos eventus, post examina sedula & observationes coram Medicis, Chirurgis & aliis optimis in tanta re testibus, utile, efficax, certissimum calculi remedium acceptum fuit. His justo adductus Senatus Britannicus, meritorum generosus remunerator, amplam mercedem inventrici concellit, ut publici juris fieret inventum. Constat pulvere, decocto, & pilulis. Pulvis componitur ex tellis ovorum & limacibus calcinatis cum cineribus Nasturtii aquatichi. Decoctum fit ex Saponis Hispanici uncis quatuor & semis, quæ cum melle & cineribus Nasturtii aquatichi subactæ decoquuntur in aquæ communis libris quatuor, cum foliis vel floribus Chamomeli, Fœniculi dulcis, Petroselini, Lappæ majoris. Pilulæ parantur ex Limacibus calcinatis, feminibus Pastinacæ sylvestris & Lappæ majoris, tum ex fructibus Fraxini, Rubi idæi & Oxyacanthæ, in æquali quantitate acceptis: hujus pulveris cochleare cum uncis quatuor Saponis Hispanici & Mellis in pilulas redigitur. Compositi pulveris drachmam in vino albo vel altero vehiculo octava qualibet hora assumebat æger, superbibendo libram semifem decocti. Pilulas in insultibus nephriticis etiam pro usu quotidiano accipiebat, decocto aliquando supplebant; pro variis circumstantiis dosis augebatur vel minuebatur a). Evulgatum illud medicamen omnium attentionem sibi adscivit; innumera fuerunt instituta experimenta in Anglia & Gallia, & more solito alii laudibus extulerunt, alii vituperiis damnarunt. Ejecta supervacua plattarum mi-

a) yide *Exposition des Preuves pour & contre les Remedes de Mlle Stephens.*

scela, simpliciorem & faciliorem formam accepit, solum Sapponem cum Alcali fixo miscuit HARTLEJUS b), in saponis & calcis efficaciam ad calculum dissolvendum inquisivit. Lixivio Saponis acerrimo ex una parte Calcis & duabus Alcali fixi ebulliente, calculus mollior omnino fuit dissolutus; alias durior in limum fuit redactus, in solo Alcali fixo, nec digestione, nec ebullitione fuit dissolutus. Potentissimum igitur Calculi solvens est Saponis Lixivium, & eo potentius, quo calidius est. Hanc vim desperdit, si Acidum huic Lixivio misceatur, non ita evenit, si Lixivio Oleum addatur, ut sapo componatur. Calculi portio granor. circiter XI in decocto Saponis Hispanici cum testis ovorum calcinatis intra quindecim dies in pastam convertebatur, altera portio granorum octo intra idem tempus dissolvebatur in solo decocto Saponis absque testis calcinatis c). Quantitatem Lixivii Saponis necessarii ad destruendum calculum aestimare voluit HALESIUS. In plurimis phialis eandem urinæ naturalis quantitatem includebat, portiones calculi diversæ molis & diversas quantitates lixivii saponis addebat: decimo sexto digestionis die ex omni portiuncula, quibus ultra sexdecim lixivii guttulas addiderat, ad insignem a superficie distantiam emollitæ erant, vigesimo nono solutæ prorsus, paucis exceptis, quorum centrum menstruo adhuc resistebat, post trigeminum nonum diem superstites portiones ponderavit exsiccatas, & decrementum in singulis reperiit in ratione quantitatis lixivii saponis. Alia adhuc experimenta addidit Illustr. MORAND d). Quatuor portiones calculi ex vesica extracti accepit, unam urinæ hominis fani immisit, alteram cum urina medicata, scilicet hominis sapone & calce utentis, tertiam decocto saponaceo Stephaniano, ultimam in dissolutione saponis per triginta dies digestioni caloris animalis exposuit, dein exsiccavit & ponderavit. Portio, quæ in urina hominis fani fuerat detenta, granum unum supra 119 acquisiverat; por-

b) *Dissert. de Lithontriptie.*c) HALES *nouvelles Expériences sur le Remede de Mme. Stephens.*d) *Mem. de l' Acad. R. des Sc. 1740.*

tio, quæ urinæ medicatæ fuerat mixta, 39 ex 127 deperdi-
derat; tertia pars, quæ decocto saponaceo immissa fuerat,
totam unam tertiam partem amiserat, quarta dissoluto saponi
addita, 8 ex 68 amiserat.

§. XXII.

Ex his optimis & aiis plurimis experimentis, quæ re-
ferre vetant angusti hujus Dissertationis cancelli, liquet,
vim dissolvendi calculum possidere saponem; hanc vim & a
calce provenire, parum ab Alcali fixo, nihil ab oleo. Ab af-
sumptis intus calce & sapone eandem vim acquirit urina; in-
de illis utentes urinam albam, glutinosam, friabiles lapillos,
qui ad cretam accedunt gerentem mingunt: squamulas, frä-
menta, portiones calculorum integras, veluti in excortica-
torum calculorum ramenta formatas cum cruciatibus ejiciunt,
quæ nempe per vim saponis a calculo divelluntur; siquidem
cessant fere semper exinde symptomata, aut admodum immi-
nuuntur, aliquando calculum non amplius detegebat cathe-
ter, quamvis ante assumpta remedia magnum volumen ha-
buerit. Præterea calculi ex cadaveribus post eorundem usum
exempti inegalitates gerebant, quasi eroſa fuerit superfi-
cies, quæ manifesta sunt solutionis indicia. Tandem pluri-
mos calculo radicitus liberavit nostrum remedium, alias fa-
nitati restituit, dolores sustulit: se perfecte sanatum cum dia-
rio morbi evulgavit D. KIRCKPATRICK a), quibus omnibus
cogimur ad commendanda hæc remedia in calculo.

§. XXIII.

Ex acribus & irritantibus tamen composita medicamina
dolores, inflammations, calorem in initio crient non raro,
quæ mala successu temporis sedantur, v. g. per largiorem
diluentium usum, & statim ad saponem & calcem redeun-
dum. Neque omnibus indiscriminatim calulosis convenient, tussicu-
losis, hæmopticis, phthisicis, febre lenta, scorbuto, cachexia, lue
venerea, aut visceris cuiuscunque ulcere laborantibus interdicenda.
Sunt equidem Viri prestantissimi, qui de illa efficacia dubitent, quin

a) *Expos. des Preuves pour l' contre les Remedes de Mle. Stephens.*

hæc remedia potius diathesin calculosam augere afferunt, ex eo quod aliqui illis utentes levamen non habuerint, sed quia non ægri omnes convalescent. An idcirco nulla est medicina? Hinc quamvis maxima sit eorum auctoritas, vix possumus resistere evidentibus testimoniorum agrotantiam, qui in variis regionibus vel cum superfite calculo levati, aut integre fanatici certa fide fuerunt, ut calculi vestigia disparuerint, & urina crustam calculosam desierit apponere. Quomodo igitur calculus eadem generarent, fecit forte calculorum durities, aut exco-riata vesica, aut alia demum causa, ut levaminis nihil ex illis percepient.

§. XXIV.

Remedium Stephanianum cum totam a calce suam efficaciam habeat, suspicatus est ROB WHYTT, in aqua calcis sola contineri totam virtutem, & ingratu, nausculo, primis viis sèpius infesto medicamento supplere posse; experimenta optima ad id instituit, & quidem plurimis evictus est, hanc aquam calcis optimum esse & præstansissimum adversus lithiasin remedium; siquidem calculus extractus in illa aqua optime dissolvitur, & eandem virtutem acquirit urina. Ipsius felicibus tentaminibus sagacissima addidit Eruditiss. ROUX a), quibus aqua calcis valentissima in dissolvendo calculo aut doloribus sedandis nota fuit. Majorem vim habere calcem ex animalibus productam, quam ex lapidibus viderunt. Sic inoccuum, efficacissimum in magna copia potest accipi medicamentum, a quo magna sibi promittere debent Medici. Optimam ipsius virtutem agnovit Celeberr. DE HAEN, quamvis remediis Stephanianis oppositus. Quomodo calx dissolvat calculus, nunc inquirendum est.

§. XXV.

Calcem partes oleosas calculi ad se attrahere, dixit HALESIUS, & inde mixtionem disturbari. Meliora proposuit Eruditiss. ROUX; sal nempe ammoniacale continet urina, habet & calculus, quod calx a basi separat, cum acido se uniendo, hinc vim dissolventem habet urina aqua calcis utentium, quamvis alcalina non videatur b). Minus potens est fallaxiviosum ob oleum, quod continet calculus; alcalia enim parum agunt in olea, nisi a calce causticitatem habeant; inde aquæ calcis actionem minuant acida, & difficilior forsan calculorum purorum solutio. Calx vim dissolventem aquæ non conciliat, nisi recens, & in atmosphera tepida valis clausis immisceatur: quibus cautelis non applicatis aliqui aquam calcis minus efficacem ad calculus dissolvendum incaute afferuerunt.

§. XXVI.

Celebrandum nobis est & aliud medicamentum a paucis annis in Lotharingia detectum, aquas volo minerales Contraxeillanas, de quarum virtutibus egregie meruit Ill. BAGARD, Collegii Med. Nancej. Decanus & Praeses; multa circa has aquas tentamina instituit, & eas egregie omnino se gerere in dissolvendo Calculo multis observationibus probavit c).

a) *Ess. sur les Vertus de l'Eau de Chaux pour la Guérison de Pierre*, trad. par Mr. ROUX. b) WYTT l. c. p. 42.
c) *Voyez son Mem. sur les Eaux minér. de Contrexeville*, imprimé à Nancy.
T A N T U M.

VD18

ULB Halle
007 470 061

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DEO PRÆSIDE
RATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
SINGULARI
VIS CALCULO
QUAM
SSIMI MEDICORUM ORDINIS
JUSSU
PRO
IN ARTE MEDENDI HONORIBUS
ET
LEGIIS DOCTORALIBUS
RITE CONSEQUENDIS
SEPTEMBRIS A. R. S. MDCCLXXII.
INI ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIT
RENTIUS ROUILX
Reguievellensis - Lotharingua.
H. L. Q. C.

Typis JOH. HENR. HEITZII, Universit. Typogr.

